

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA  
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08  
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## IMPRIMIS CUR? ... POSTEA QUOMODO?

Contrariis undis movetur Latinitas hodierna. Minor Latine peritorum pars operam dat ad linguae Latinae usum restituendum, sed multo maior pars usum respuit et sibi reservat ut bonum proprium doctrinam linguae Latinae mortuae; eorum etiam

nonnulli sollertiores pro vulgo popularium translationes in sermonem vernaculum exarant.

Aequales nostri in dies minus intellegunt cur lingua mortua eademque Latina in scholis sit docenda. Gradatim sed inexorabiliter coartatur



Attractivi textus Latini ubique inveniri possunt. Etiam in expositionibus q.n. Europalia, Portugaliae dedicatis, quae Bruxellis usque ad finem huius mensis sunt, nonnulla Latina ostenduntur; in hac imagine terrae motus narratur quo deleta est Olisipo ('sive, ut pervetustae lapidum inscriptiones habent, Ulyssippo, vulgo Lisbona', ut legitur in quadam urbis descriptione). Cuius narrationis textum legetis in proximo fasciculo.

tempus scholare ad Latinum discendum tributum. Non ergo mirum est si magistri, qui institutionem Latinam in extremum paene discrimen adductam esse vident, conventus instituunt ubi de huius institutionis rationibus recogitetur.

Cogitationis thema propositum plerumque est "linguam Latinam docere pergere, sed modo alio ac tradito".

"Latino si, ma non così" hoc thema exprimit verbis Italianis; de quo disputatum est in insula Procida (prope Neapolim) a die 19 in diem 25 m. Oct. huius anni, auspiciis studiorum universitatis Salernitanae. Nobis infeliciter non licuit huic conventui interesse, cum eodem fere tempore haberetur Symposium Latinum Parisiense; nonnullos tamen participes postea convenimus. Sed iam ex indice acroasium patet oratorum discrepantia eadem ac in initio enuntiata. Omnes fere Itali professores academici Italiane verba fecerunt atque de argumentis tritis tractaverunt; unus tamen ex eis, Prof. Richardus Avallone, verba fecit Latina, quibus titulus «De Latinitate restituenda». Sed Dr Aloisius Miraglia, conventus secretarius, iuvenis optimusque Latinitatis vivae propagator, curaverat ut invitarentur fautores vividae institutionis Latinae, inter quos extranei non pauci. Qui fautores fere omnes acroasin Latinam fecerunt, cum duae essent linguae officiales, Italiana Latinaque.

"Enseigner le latin autrement": haec verba Francogallica, quibus iterum idem thema exprimitur, fuerunt titulus seminarii Insulae (v. Lille in Francogallia) a die 12 in diem 15 m. Nov. huius anni habiti, quod instituerat Iohannes Dayez pro magistris linguam Latinam docentibus<sup>1</sup>. Ipse Iohannes Dayez seminarium Latinum Bruxellense hac aestate participaverat, ubi perceperat linguae Latinae notitiam mancam atque iniucundam esse cum deesset usus. Ad vivas Latine docendi methodos magistris demonstrandas invitaverat docentes qui tales methodos iam diu adhibent, Patricium Bougy et Iohannem-Iacobum Bertrand in scholis secundariis atque Claudium Fievet in Palensi (v. Pau) studiorum universitate.

Cum etiam invitatus essem ad verba facienda (infeliciter Francogallica) de "Latinitatis vivae veritate" (Fr. "Réalité du latin vivant"), mihi licuit comperire quantum etiam hi magistri, qui seminarium participando suum in lingua Latina studium demonstrabant, tamen distarent a notione linguae Latinae vivae. Adoleverunt enim in re publica ubi cultus linguae nationalis, quae dicitur, a rerum mutatione XVIII saec. facta novum praecipuumque cohaerentiae vinculum diversarum incolarum gentium factus est; ab eodem tempore lingua Latina ibi mortua edicta est atque ab omni usu prohibita. Una tamen erat exceptio: ecclesia catholica

quae in ritibus liturgiisque usque ad concilium Vaticanum II sermonem Latinum adhibere perrexit. Inde factum est ut in Francogallia hostes Latinitatis vivae autumarent linguam Latinam vivam esse rem catholicorum.

Fama fert in Francogallia usum linguae Latinae non ultra XVII saec. servatum esse et hoc tantum in scriptis (ut exempli gratia legitur in diario "Nice-Matin" Martis die 27 m. Aug. 91 edito, ubi refertur de Feriis Nicensibus).

Huic accedit quod in Francogallia magistri linguam Latinam vel Graecam docentes etiam linguam Francogallicam docent. In systemate educationis lingua Latina tantum est adiumentum linguae Francogallicae melius cognoscendae.

Ex his intellegi potest quanta fossa magistros Francogallos (et Belgas Francogallice loquentes) separet a notione Latinitatis vivae et quanta sit eorum exspectatio miratioque cum aliquid comperiant de ubertate in libris Latinis extra Francogallia edendis usque ad XIX saec. Istam fossam singuli si lubet transsilire debent, non solum suo Marte sed etiam contra traditum propositum Educationis Nationalis, cuius revera sunt officiales agentes.

Has fossas, quas exclusivi nationalismi maturius vel serius diligenter effoderunt, tamen superari possunt. Nobis noti sunt iuvenes undique oriundi (consulto nihil dico de senioribus cum iam ad praeterita pertinere videantur) qui optime lingua Latina uti sciunt et scribendo et loquendo. Hi profitentur hoc sibi magnae esse delectationi; comperiunt etiam homines lingua vel natione diversos inter se conciliari et coniungi communitate sermonis Latini.

Studia humaniora, quae pertinent ad totius Europae traditionem, fovere, est unica via, qua diversi Europaei inter se conciliari et coniungi possint. Usus sermonis Latini etiam pertinet ad hanc traditionem Europaeam; favet communicationi in qua necessario nititur amicitia; efficit ut alius alio potius similior quam dissimilior sibi videatur.

Ergo cum agitur de institutione Latina in scholis, *imprimis cur* instituatur nostris temporibus definiendum est modo prorsus novo: cur? quia est fundamentum historicum cohaerentiae intellectualis Europaeae.

Postea quomodo melius doceatur, ipso scopo dilucide patefacto facilius ducetur. ■

Gaius LICOPPE

(1) Huius seminarii relationem legetis in proximo fasciculo.

# DE SYMPOSIO LATINO PARISIENSI

RETTULIT FRANCISCA DERAEDT

Cum ante duos annos Finni Parisiis instituerunt Institutum suum Finnicum, sedem sibi elegerunt optimam. Nam domum emerunt media in urbe, ibi ubi floret vita intellectualis, iuxta Sorbonnam, in vico qui dicitur «vicus Latinus», «le quartier latin». Est regio vivida, ut sunt regiones in quibus pullulant studentes. Institutum Finnicum ibi non dormit; vitam Parisiensem participat atque multa proponit, quae pertinent et ad Finnam in nostris regionibus melius cognoscendam et ad consuetudinem cum reliqua Europa augendam.

Ante nonnullas septimanas in Instituto Finnico praeconium legebatur fere hoc (Francogallice quidem scriptum): *LATINA LINGUA IN VICO LATINO*. Prof. Thomas Pekkanen his verbis homines invitabat ad symposium Latinum participandum.



Nam Finni, quamquam longe absunt ab imperio Romano, linguam Latinam a Medio Aevo propter Christianizationem adhibuerunt quam nostris etiam temporibus plurimum colunt. Europam participare cupiunt atque intellexerunt - illi quidem intellexerunt - Latinitatem Europae esse vinculum. Etenim lingua Latina est fundamentum cultus civilis Europaei; is ergo qui Latinitatem participat, participat cultum civilem Europaeum. Vos, ut puto, his sententiis assentimini - aliter non essetis Melissae lectores -; sed longe abest ut omnes Europaei hoc habeant perspectum, atque nihil dicam de rectoribus nostris.

Administri publici, nescio cur, videntur subtiliores esse in Finnia quam in aliis Europae regionibus. Nam, cum nostri rectores linguae Latinae neglegant institutionem omninoque respuant usum, Finni, contra, vivam Latinitatem publicis non solum hortationibus sed nummis sustinent. Sic factum est ut ipse Cancellarius Ministerii Finnorum Publicae Instructionis symposium inauguraret oratione, quam Latine habuit. Per triduum sedecim oratores undique oriundi suis argumentis monstraverunt linguam Latinam Europae esse vinculum.



Multa auditores didice-

runt et de historicis conexibus et de hodiernis problematibus. Ceterum huius conventus acta verisimiliter edentur; sunt vere digna, quae divulgentur. Ego quidem, quamvis verba indecenter soleant volare, nonnulla adnotavi, quae sunt nostrorum temporum recta testimonia:



Prof. Caetanus Gantar Slovenus de Slovenicarum universitatum condicionibus: «*Non solum summaria dissertationum, sed haud raro etiam ipsae dissertationes linguis alienis eduntur. Quae in saeculis praeteritis, cum terrae nostrae pars Monarchiae Aus-*

*tro-Hungaricae erant, lingua Germanica fiebant, nunc praesertim lingua Anglica divulgantur. Sed vis et violentia linguae Anglicae immo etiam periculosior et perniciosior quam olim vis linguae Germanicae esse videtur. Sunt enim qui desiderant omnes dissertationes Slovenicas simul et Anglice divulgandas esse. Sunt qui poscant relationes commendationes laudationes suffragationes de professoribus universitatis Slovenicae eligendis Anglice scribendas esse. Immo vero sunt qui id contendunt, ut orationes et seminaria quaedam in universitate Labacensi iam non in sermone patrio Slovenico, sed Anglice habeantur.*

*Quomodo his postulationibus resistendum et repugnandum est? Nam populus Slovenicus per centum annos universitatem desiderabat, quae non Germanica, sed Slovenica esset. Post universitatem adeptus summa vi id nitebatur, ut haec universitas Slovenica maneret, ne Serbica fieret. (...) Nunc autem periculum nobis imminet quod non minus, sed gravius esse videtur.*

*Cuius periculi vitandi una et sola est via incolomis: lingua Latina. Nam Latinitas opinionibus praepudicatis nationalismi et imperialismi vacat. Latinitas in temporibus nostris nullius imperii excubias agit.*

*Quam ob rem hoc unum nobis imprimis studendum est, ut quam plurimi viri docti summaria dissertationum suarum Latine scribant. Quod quidem nonnulli - imprimis naturalis historiae (zoologiae, botanices, mineralogiae, paleontologiae) periti - iam nunc agunt. Dolendum tamen est quod medicorum multi iam Latinitatis minus periti sunt, qui praecepta et diagnoses iam non Latine, sed Anglice scribere*

malint.

At imprimis nos ipsi, philologi, bonum exemplar dare debemus, quam ob rem nobis ipsis quam plurimae dissertationes et dissertatiunculae Latinae scribendae et edendae sunt.»



Drs Leo Stoelinga Batavus de disciplinis, quas in schola adulescentes eligere solent: «Eas eligere solent, quibus eminent et quae utiles vel etiam necessariae ad studia superiora sunt. Ut exemplum afferam, qui ingeniarius futurus sit, disciplinam linguae Latinae raro eligit.

Hanc rationem institutionis atque eligendi omnino disprobat unus ex eis qui praesunt fabricis electronicis quibus nomen est «Philips», ut nuper legi. Nam specialisationem immaturam iudicat perversam. Hac aetate nostra deliberandi et cooperandi, cum vis verbi plus quam unquam valeat, cum facultas clare et recte animum verbis et per litteras exprimendi omnimodis excolenda sit, discere linguam Latinam multum confert ad novam utilitatem

manifestam. Quin etiam optat, ut discipuli aliquid de arte rhetorica et dialectica et philosophia cognoscant. Immo vero, ut quaedam institutio civilis vere generalis et quoddam curriculum artium vere liberalium renascatur, optat.

Putat ergo linguam Latinam non esse aestimandam monumentum venerabile, quod conservemus propter desiderium aetatis superioris, sed, cum homines paulatim cives mundi fiant, hoc genus institutionis maxime conferre ad utilitatem practicum.»



Doctrix autem Sigrides Albert, cum de Melanchthone tractaret, concludendo memoravit eum similem monitionem protulisse; qua mihi etiam placet concludere: «Nemo republicas, sive religionem spectes sive civiles mores, gravius laeserit, quam

qui a studio liberalium artium iuventutem retrahit.» (CRI 776, Ioanni Friderico epistola nuncupatoria in librum: Salomonis sententiae). ■

## DE SAUNA FINNICA

SCRIPSIT ANNULA KELA

Longinquam Finnam his hiemalibus temporibus imaginamur et albam et nigram: nive quidem dealbata, sed oppressa nocte fere perpetua. Insuper quanta frigora! Quomodo fit ut homines boreales tanta frigora suscipere sciant? Fortasse sauna, quam adire solent, roborantur. Annula Kela Finna originem nobis patefacit huius modi balneandi.

Primum, antequam historiam naturamque saunae Finnicae scrutor, velim introducere nonnullos neologismos, qui ad saunam pertinent: locus verbum actio actor / balneum balneari (balneatus sum) balneatio balneator / sauna saunari (saunatus sum) saunatio saunator.

Ergo, si Romani antiqui iam olim in balneis balneari solebant, cur nos non possimus in sauna Finnica saunari? Et cum Romani iam antiquitus ex forma perfectiva balneatus nomina actionis et actoris derivaverint, id est vocabula balneatio et balneator, certe potest balneatio in sauna vocari

saunatio et is, qui in sauna balneatur, saunator potest nominari. Hos neologismos usurpatura sum in relatione mea.

\*  
\* \*

Quod pertinet ad originem saunae Finnicae, maxima est dissensio inter investigatores Finnos. Hodie plerique saunae periti, inter hos Martti Vuorenjuuri, putant saunam Finnicae synthesim esse balneorum sudatoriorum ex occidente orienteque adductorum. Ex Europa occidentali oppida Finnicae occidentalis meridianaque culturam balnearem mediaevalem adsciverunt, quae balnea Turcica ex Arabis Syrisque accepta et balnea Romana e Graecis Indisque accepta inter sese coniungebat atque fundamentum quoddam hodiernarum saunarum publicarum in oppidis Finniae format.

Ex oriente autem Finni rustici saunam Slavicam aut Russicam iam temporibus Christi nati adsciverunt. Sauna Russica, quae Banja nomina-



tur, veteris ignotaeque originis est et primitus ex uno tantum conclavi parvo ex tignis facto constabat, ubi fornax ex lapidibus constructa inerat atque suggestus lignei, ubi homines sedebant sudabantque et tantum aquae in lapides fornacis iaciebant, ut vapor calidus humidissimusque esset; post sudationem in aquam frigidam aut nivem gelidam se praecipitabant. Vocabulum Finnicum *sauna* aut Aesticum *saun* olim huius modi casulam ex tignis factam significabat, et sauna Finnica rustica primitus re vera simillima erat banjæ Russicae, licet balneum vaporarium saunae Finnicae aliquid inter Romanum siccum et Russicum humidum esset. Saeculis praecedentibus tamen saunae rusticae aliquantum inter sese differebant in Finniae partibus orientibus occidentibusque: in oriente sauna minor humiliorque erat et Russico modo tantum ad balneandum apta, cum in occidente sauna maior altiorque esset et non solum ad balneationem usurparetur, sed Suetico modo etiam ad varia opera domestica gerenda, ut ad carnem piscemque siccandum aut ad vestes lavandas. Aedificium saunae tamen tam simplex erat, ut multa per saecula paene immutatum maneret.

Sauna, cum ineunte duodevicesimo saeculo ex oppidis mediae Europae paulatim evanesceret moribus relaxatis et morbis contagiosis vulgatis, res septentrionalis facta est - et paulo post res imprimis Finnica, cum in Sueticis quoque oppidis rarior atque rarior fieret, licet in agris Sueticis asservaretur. In Suetia sauna non diutius salubris neque oeconomica habebatur: Sueti enim existimabant saunam nimis ligni consumere atque causam esse variorum morborum, magnae mortalitatis infantium atque immaturae senectutis. Undevicesimo autem ineunte saeculo sauna Finnica in tota iam Europa nota erat et Sueti quoque rursus putabant saunam salubrem esse atque medicamen validum contra dolores varios morbosque cutis.

Mediante undevicesimo saeculo nationalistae et romantistae Finni excitati affirmaverunt saunam Finnicae originis esse et Finniam domum saunae. Multi Finni hodie quoque hoc modo cogitant et scriptores Finnos classicos Alexandrum Kivi et Iohannem Aho commemorant, quorum ille in «Septem fratribus» veram saunam Finnicam, hic acerrimum saunatorem urbanum Sasu Punanen descripsit. Etiam Kalevala, epos nationale Finno- rum, multas descriptiones saunae Finnicae a maioribus traditae nobis praebet. Finni certe signum suum speciale saunae dederunt, licet saunam ipsam ex aliis Europaeis Russisque accepissent. Itaque nos Finni sauna nostra saltem aliquantum superbire possumus, quamquam debemus admittere saunae commune domicilium non esse; culturae enim balneares, quarum fundamentum est sudatio, variis locis et variis tempori-

bus independenter ortae sunt, ut in America septentrionali, ubi Indiani suum tentorium sudatorium iam per multa saecula habent; ibi lapides fervefaciunt et supra eos aquam iaciunt postque sudationem in aquam frigidam desiliunt. Haec sauna Indianorum simillima est Finnicae sauna, quamquam neque Indiani antiqui quidquam de Finnis neque Finni antiqui quidquam de Indianis sciebant.

Exeunte undevicesimo saeculo, quamquam nationalistae strenuissimi saunam Finnicam promovebant, Finni nobiles in balneis publicis balneabantur ratione Turcica-Romana, pauperes rusticique tantum homines in saunis, donec scriptores realistici tandem tertio decennio huius saeculi nobilibus quoque Finnis saunam vere notam reddiderunt. Anno 1923 Oiva Kallio, architectus Finnus, saunam villae suae ex tignis construxit, et haec sauna exemplum ideale praebuit toti nationi Finnicae, licet similior esset casulae Alpicae Helveticae quam Saunae Finnicae a maioribus traditae; nam foriculas habebat in fenestris et tectum perlongum, quod supra maenianum quoque extentum est.

Quarto decennio huius saeculi sauna Finnica magis magisque formam originalem amittebat, cum architectura urbana pavimenta ex caemento facta, parietes suggestusque ex tabulis ligneis factos atque rotundam altamque fornacem ex metallo constructam in saunam Finnicam adduceret. Itaque anno 1937 Societas Amicorum Saunae Finnicae fundata est, quae saunam Finnicam originalem promoveret et litteras de sauna nostra ederet Finnice peregrinisque linguis. Hodie sauna Finnica vulgata est in Suetia plurimisque terris mediae Europae, imprimis in Germania, Helvetia, Austria, Francogallia; Rainier quoque, princeps Monoeci, saunam suam Finnicam habet, et etiam in America Iaponiaque sauna signum urbanitatis facta est. Sauna Finnica a plerisque peregrinis tamen prava habetur, quod viri mulieresque plerumque omnino nudi una ibi saunentur. Duodevicesimo saeculo Giuseppe Acerbi, poeta Italus, scripsit se vidisse viros mulieresque Finnos una balneantes in sauna obscura, et etiam saeculo undevicesimo omnes socii familiae et vicini hospitesque quoque una saunabantur in agris Finnicis et viri feminaeque in saunis publicis oppidorum. Hodie tamen uterque sexus plerumque suis temporibus balneatur in saunis Finnicis.

\*  
\* \*

Temporibus nostris sauna pars necessaria habitationis Finnicae est, et pauperrimi quoque saunam suam debent habere. Ergo decies centena milia saunarum in Finnia hodierna esse existimantur. In oppidis sauna non more maiorum

constructae sunt: saunae publicae plerumque ex lateribus aut aliis lapidibus aedificatae sunt et ita nimis humidae fiunt; in multizoniorum autem habitationibus privatis saunae tam parvae sunt, ut singulae tantum personae in eis saunari possint. In saunis urbanis fornax persaepe electrica est et ideo parva munda facilisque usu; fornax electrica etiam oeconomica est, quia nihil caloris e canali fumatorio evanescit; ne aerem quidem polluit. Multi tamen dicunt balneum vaporarium fornacis electricae nimis siccum et sine sapore esse. Ergo plerique Finni in domibus villisque rusticis veram saunam ex ligno factam et ligno calefaciendam apud lacum aut flumen habent. In sauna originali a maioribus tradita canalis fumatorius deest, et ideo fumus in tectum versus surgit et e parvulo foramine ad tectum sito evanescit. Haec sauna obscura appellatur fumaria et vaporem sapidum convenienterque humidum praebet. Fumus saunae etiam saluber est et bacteria hominum vestiumque necare dicitur. Alii tamen dicunt saunam fumariam sordidam esse aptamque incendiis atque causam esse morborum oculorum.

Licet sauna Finnica rustica primitus unum tantum conclave continerit, hodie plerumque etiam apodyterium et balneum atque maenianum habet. Postquam saunator Finnis in apodyterio vestes deposuit, in sudatorium (Finnice «löylyhuone») intrat, ubi sunt suggestus lignei ad sedendum (Finnice «lauteet») et fornax ex lapidibus constructa ad calefactionem (Finnice «kiuas»), quae ligno, electro, gaso aut oleo fungitur et hypo-



*Ultima frigidaque ablutio. Brrr...*

causto thermarum Romanarum respondet. Primum vapor centum fere graduum siccus est, ut in antiquo sudatorio Romano, sed mox humidus fit aqua in lapides fornacis iacienda, et hic vapor humidus sicco calidior sentitur, quamquam calor adhuc idem est. Ex sudatorio fervido saunator Finnis in aquam frigidam natationis, maris, lacus fluminisve aut hieme in aggerem nivis se praecipitat aut aere frigido maeniani se reficit. Mutatio igitur caloris abrupta est, non paullatim fit, ut in caldario tepidario frigidarioque balnearum thermarumque Romanarum. Haec mutatio caloris subita corpus mentemque excitat, et saunator sudationem refectionemque totiens repetere potest, quotiens vult valetque. Etiam fasciculo ramorum betullae (Finnice «vasta» sive «vihta») se ferire potest, ut circulatio sanguinis melioretur. Denique saunator in balneo se lavat aqua calida aut tepida lavabri aut tubuli mammati, et ultimum se abluit aqua frigida.

Hodie unusquisque paene Finnis saltem semel septimanatim saunatur, ut corpus mentemque purificet et se reficiat post operas curasque cotidianas. Sauna etiam ad valetudinem asservandam morbosque curandos apta est, quod sudatio atque variatio calidi frigidique actionem intestinorum circulationemque sanguinis excitant, foramina cutis purificant et toros fatigatos dolentesque reficiunt. Omnes Finni noverunt proverbium, quod hoc modo Latine auditur: «Si neque vinum neque pix neque sauna sanat, morbus mortifer est». Sauna Finnica etiam religiosam quandam naturam habet: purificatio tamquam ritus est, et multi Finni in sauna orti mortuique sunt. In sauna homines etiam inter se colloquuntur quin etiam de negotiis rebusque politicis, ut senatores Romani olim, cum unusquisque nudus aequalis sit aliis et suam naturam propriam ostendat. Sauna Finnica igitur vim quandam socialem maximi momenti habet, licet loca socialia plurima thermarum Romanarum desint.

Sauna Finnica praecipue nota est simplicitate sua: tantum ligno et lapide atque aere aquaque calida et frigida opus est. Sauna Finnica pars naturalis modicaque est viciniae suae, cum thermarum Romanae antiquae colossae fortasse quodam modo artificiosae fuerint. Licet sauna Finnica et thermarum Romanae forma magnitudineque inter sese multum differant, ambae primitus eadem mente aedificatae sunt - ut homines balneis sudatoris iam antiquitus notis corpus mentemque purificare et colere possent - sicut Iuvenalis rem expressit: «mens sana in corpore sano». ■



# DE INSULA DIALECTICAE

SCRIPSIT PETRUS HRANDEK

Veri simile est neminem esse, qui aenigma de vicinis, qui aut semper aut numquam verum dicere solent, nesciat.

*Viator quidam itinerum cupidus lacum in insula dialecticae situm obire in animo habuit. Ad trivium pervenit, ex quo una via sinistrorum, altera dextrorum ferre vidit. Ibi duo pueri sedebant, quorum unus semper verum, alter semper falsum dicere solebat; uterque interrogatus solum aut ita aut non ita respondebat. Haec omnia viatori bene nota erant. Tamen et contigit, ut solum unius percontationis ope et responsis a pueris latis examinatis concluderet, quae via ad lacum ferret. Quibus verbis viator pueros percontatus est?*

Problema facile resolvi potest:

*Viator viam quandam digito monstravit et percontatus est, verumne esset hanc viam ad lacum ferre et bis bina quinque facere.*

*Si via ad lacum fert: puer, qui semper verum dicit, primam partem percontationis affirmat, alteram negat, totam percontationem negat; puer, qui semper falsum dicit, primam partem negat, alteram affirmat, totam percontationem negat.*

*Si via ad lacum non fert: puer, qui semper verum dicit, primam partem percontationis negat, alteram negat, totam percontationem negat; puer, qui semper falsum dicit, primam partem affirmat, alteram affirmat, totam percontationem affirmat.*

*Ergo: si ambo pueri interrogatum negant, via ad lacum fert.*

Problema resolutum est auxilio methodorum logicae enuntiativae, quae vocatur. In resolvendo hoc theorema logicum adhibetur: coniunctio duarum enuntiationum vera est dumtaxat hactenus, ut enuntiatio unaquaqueque vera sit.

Qui exquirat, utrum sententia vel enuntiatio vera sit an falsa, logicam enuntiativam tractat.

Oratio internum iudicium explicans enuntiatio vel propositio nuncupari solet; quae ut assensionem vel dissensionem indicat, ita affirmans vel negans est.

Quaelibet enuntiatio constat ex subiecto et praedicato; cum praedicatum ita de subiecto

enuntiatur, ut se oblectum reipsa habet, enuntiatio vera, sin aliter, falsa est.

Si enuntiatio vera negatur, falsa fit et vice versa.

Si duae enuntiationes coniunguntur auxilio operatorum logicorum, fit nova enuntiatio. Functiones coniungendi (vel enuntiativae) hunc in modum definiuntur:

- coniunctio (et) duarum enuntiationum vera est, si ambae verae sunt, sin aliter, falsa est.
- disiunctio (vel) falsa est, si ambae falsae sunt, sin aliter, vera est.
- disiunctio exclusiva (aut) falsa est, si ambae aut falsae aut verae sunt.
- denique implicatio (si-ita) solum falsa est, si prima enuntiatio vera, altera falsa est; aequivalentia vera est, si ambae aut verae aut falsae sunt.

Mathematici et specialistae logicae formalis periti notas et symbola excogitaverunt, ut formulas logicas et demonstrationum gradus facilius perscribere possent.

Litterae grandes (A, B, C...) notant enuntiationes quaslibet, symbola  $\wedge$ ,  $\vee$ ,  $\neg$ ,  $<$ ,  $\times$  coniunctionem, disiunctionem, disiunctionem exclusivam, implicationem, aequivalentiam. Uncini ita usurpantur ut in formulis mathematicis.

Problemata logica interdum auxilio tabularum veritatis, quae nominantur, resolvuntur.

Forma tabulae veritatis, quae in resolvendo problemate viatoris ponenda est, simplicissima est.

- A esto enuntiatio: haec via ad lacum fert
- B esto enuntiatio: bis bina quinque faciunt
- O notet falsum
- 1 notet verum

Tabula veritatis:

	A	B	$A \wedge B$
1. Haec via ad lacum fert			
Puer veritatis diligens	1	0	0
Puer mendax	0	1	0
2. Haec via ad lacum non fert			
Puer veritatis diligens	0	0	0
Puer mendax	1	1	1

# MUSA MUSICES (PARS SEXTA)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

## 36. FRIDERICUS YEPEZ, HYMNUS IN LUDOVICUM BEETHOVEN<sup>37</sup>

O nate blando sub modulamine,  
digne angelorum qui fide concinas,  
mirosque concentus ovanti  
usque potens renovare mundo,

augusta perstas gloria cantici  
de gente natus Teutonica, et tuam  
extollis excelsas in oras  
progeniem et cumulas honore.

Concentus ergo si tuus insonat  
mortale pectus tangitur intime  
purumque libamen bibisse,  
voce tua resonante, gaudet.

Hinc te canentem blandius omnibus  
qui audire scivit vel semel auribus  
cultis, beari se inter ipsos  
caelicolas prope iure credat!

## 37. B.W. LUXDORPHIUS, MUSICA VOCALIS (EX- CERPTUM)<sup>38</sup>

Eadem, quae vocis, origo  
est hominis, cantusque eadem; nam Musica vox  
est.

Musicus infantis tenero vagitus in ore,  
musicus infirmi senis aeger anhelitus. Omnis  
vox sonus est omnisque soni variatio rursus  
musica, quotque modis tremulas hic excitat auras,  
in totidem iuxta sese induit illa figuras.

## 38. CAEL. CALCAGNINIUS, IN ORGANUM MUSICUM EX ALABASTRO<sup>39</sup>

Mirati veteres resonas in Memnone chordas  
promere divinum sole oriente sonum;  
quo primum in saxo caesi chelys Orpheos haesit,  
edocuit saxum reddere dulce melos.  
Non haec vana putes: testis mihi Mantua, testis  
princeps Palladii magna Isabella chori.  
Audimus candentem alabastrum, audimus  
ophitem

dulces concentus edere sponte sua.  
Credibile est illis citharam appendisse Maronem  
atque hinc tam miros saxa bibisse modos.

## 39. RAIM. CUNICHIVS, DE CIMAROSA ROMAE EXPLOSO<sup>40</sup>

Cimarosa diu placuit, nunc displicet Urbi.  
Urbs levis est? Artem nescit an ille suam?  
Nescit qui scibat nuper tam multa, doceri  
ipsa mirifice visus ab Harmonia?  
Urbs levis est: omni magis est Urbs mobilis aura,  
nec stat iudicio sed natat usque suo;  
priscaque si dentur, quaerit nova; si nova dentur,  
nauseat atque iterum vult sibi prisca dari.

## 40. FRANC. ANT. LE FEBURE, MUSICA CARMEN (EXCERPTA)<sup>41</sup>

Terrarum nuper motus sine lege furentes  
descripsi; motus certa nunc lege sonoros  
musicus aggredior versu describere vates.  
Terra, vale! Feror in Pindum Musasque canentes  
aspicio: motant aurita cacumina lauri  
ad numeros dulcique nemus fremit omne tumultu.  
Ipse praeit digitoque levi formosus Apollo  
fila movet sacramque chelym cum voce maritat.  
(...)

His animadversis, in cantum solvere linguam  
quid vetat et volucres ipsas superare canendo?  
Nempe avium voces certis natura coerces  
limitibus; vox nostra omnes ciet unica cantus.  
Nec tantum rebus modulos aptare decentes  
cura sit; arcanos sensus interprete cantu  
mens retegat: querulo vox interrupta timorem  
murmure, spem laetis subsultibus alta notabit;  
cumque animus desiderio languet inani,  
languet et sensim decrescendo moriatur.  
(...)

Sic primum Italicis visa est spectanda theatris  
musica, purpureo suras evincta cothurno.  
Heu quibus illa sonis, quibus auribus illa pepercit!  
Mox vocem ducens per longa volumina crispas,  
mox subsultanti similis descendit ad imum  
atque repentino petit ardua summa rotatu:





ornamenta modis intexens omnia miris,  
insolita insolitis miscet discrimina vocum  
artis amans nimiae studioque molesta placendi.

41. ANON., GEORGI STENI EPITAPHIUM<sup>42</sup>

Stenius hic recubat testudine ludere doctus,  
cui peperit nullum Teutona terra parem.  
Cum moriebatur, Musae Charitesque gemebant  
tristis et abiecta flebat Apollo lyra.  
Ast caelum risit, quoniam ut mortalibus ante,  
sic insigne melos nunc canit ille Deo.

42. IOA. BOCATIUS, ANDREAE SINGERO<sup>43</sup>

Musicus es et musici habes cum nomine et omen;  
sed si Stiglicio dulcior esse potes,  
dicam ego «Singerus veluti modulamine vincit,  
sic cyatho superat Stiglicium avesque suas».

43. CONST. HUGENIUS, DE VITA PROPRIA SERMO-  
NUM INTER LIBEROS LIB. I (EXCERPTA)<sup>44</sup>

Quod fuerim terrae pondus, quam vivere, quam  
vivere dignus eram, versu memorare Latino  
fert animus longumque metris includere vitae  
curriculum, heroa de non heroe poesi.  
(...)

Fandi paene potens coepi praecenta biennis  
carmina cantillare; et erant hoc omine qui me  
Musarum fieri sperarent posse clientem.  
Firmavit res ipsa fidem: quinquennis in omni  
concentu primus vel eram *καὶ ἔξοχος ἄλλων*,  
vel quia tum puero plaudentibus esse videbar.  
Barbitus accessit, cuius me saepe peritum  
paucarum hebdomadam audivi fecisse laborem.  
(...)

Septennem citharae totum impendisse biennii  
tempus adhuc doleo. Quid enim? Quae prima  
necesse est

tirones elementa manu ductore doceri,  
qua mercede iuvat toties totiesque molesto  
iamque supervacuo sub praeceptore recudi?  
Sufficit una eademque pares ad regula motus.  
Exerce digitos dudum sua munera doctos;  
invenient agiles ipsi, monstrante papyro  
quos quibus imponas fidibus, quas pollice dextro  
percutias, habitu sensim studioque magistris.

\*  
\* \*

ADNOTATIUNCULAE

(37) Fons: F. Yépez, *Carmina Latina* (1965); cf. C.A. Neuhausen, *Urbs Bonna quomodo Latinis litteris inde a decimo sexto ineunte fere saeculo descripta sit et laudata* (pro ms., 1991), p. 20.

(38) Fons: B.W. Luxdorphius, *Carmina* (Hauniae, 1775), pp. 43-58 (p. 46); usi sumus exemplari Hauniensi. Luxdorphius Danus optimus erat saec. XVIII poeta Latinus.

(39) Fons: *Carmina illustrium poetarum Italarum*, III (Florentiae, 1719), p. 83; usi sumus exemplari Lovaniensi. Calcagninus Ferrariensis optimus erat et Ovidianus poeta idemque priore saec. XVI parte floruit. Vv. 1-2 adluditur Memnonis (Aurorae filii) statuae vocali quae extitit Thebis.

(40) Fons: Hrvatski Latinisti. Croatici auctores qui Latine scripserunt, II: auctores saec. XVII-XIX, redd. V. Gortan et V. Vratovic (Zagrabiae, 1970), p. 465. De Cimarosa vide adn. 4. Cunichius Ragusinus optimus erat saec. XVIII poeta.

(41) Fons: *Poëmata didascalica*, primum vel edita vel collecta studiis Fr. Oudin, in ordinem digesta et emendata a cl.v. J. Oliveto (...), I (Parisiis, 1813), pp. 230-243 (pp. 230, 234, 242); usi sumus exemplari Lovaniensi. Franciscus Antonius Le Febure e S.I. Claravallensis anno circiter 1670 natus, obiit anno 1737; edidit et carmen c.t. *Terrae motus* (Parisiis, 1704): cf. vv. 1-2.

(42) Fons: J.G. Walther, *Musikalisches Lexikon oder musikalische Bibliothek* (Lipsiae, 1732 = *Documenta musicologica*, I, 3, Basileae et Casselae, 1953), p. 578. Legebatur Luneburgi Georgii Stenii citharoedi (saec. XVI) epitaphium, in quod forte incidimus dum Andreae Singeri nomen (cf. adn. 43) frustra requirimus.

(43) Fons: Ioa. Bocatius, *Opera quae exstant omnia poetica*, I, ed. Fr. Csonka, *Bibliotheca scriptorum medi recentisque aevorum*, ser. nova, 12, I (Budapestini, 1990), p. 260 (accedunt epigrammata II, alterum eidem, alterum Francisco Stiglicio cantori dicatum). Bocatius poeta satis delectabilis anno 1569 Wetschaviae vel Vratislaviae est natus, obiit anno 1621. Singerus quis fuerit nescimus, tacente etiam editore recentissimo.

(44) Fons: *De gedichten van Constantijn Huygens*, naar zijn handschrift uitgegeven door J.A. Worp, 8: 1671-1687 (Groningae, 1898), pp. 179-182, passim. De Hugenio vide adn. 15. ■

# DE PUGNA ARMINII

SCRIPSIT THOMAS FUCHS

(Tertia pars)

XVIII. (3) Germani, tametsi a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant; sed quotiens quaeque cohors procurrerat, ab ea parte magnus hostium numerus cadebat. (4) Hostes, postquam alii alia in parte nostris resistere frustra sunt conati, desperatis omnibus rebus diversi dissipatique fugiunt. (5) Accedebat ad haec, ut supra demonstravimus, timor silvarum moventium, ut alii aliam in partem perterriti ferrentur. (6) Hostes in fugam coniecti se ipsi multitudine impediunt, nostri omissis pilis gladiis rem gerunt. Fugientibus equites occurrunt. Fit magna caedes. (7) Milites conclamant hic aequa esse loca, quod proelium apud paludes non fieret. (8) Copiae hostium trucidatae sunt, donec ira et dies permansit. Locus acervis corporum et hostium sanguine redundat. (9) Qui ex tanto numero incolumes proelio excesserunt, vivi in fuga comprehenduntur et in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affecti necantur. (10) Inguilomerus multis vulneribus acceptis capitur.

XIX. (1) Hoc proelio facto et Germanis ad unum omnibus interfectis Caecina Segestem advocavit. Is sese flens Caecinae ad pedes proiecit: (2) maxima facinora Arminium committere ausum esse, se autem omni tempore de populo Romano bene meritum esse; itaque se a Caecina, qui omnibus ignovisset, petere, ut sibi quoque, qui, cum nullius iniuriae sibi conscius esset, ad eum confugisset, veniam daret suaeque vitae consuleret. (3) Quem reliquosque Germanorum principes cum Caecina, ut in miseros ac supplices usus misericordia videretur, diligentissime conservavisset, animis eorum verbis confirmatis domum remisit. (4) Ipse uno manipulo praesidio castello relicto cum reliquis copiis proficiscitur et, quam maximis potest itineribus, ad saltum Teutoburgensem contendit.

XX. (1) Varus interim cum tribus legionibus, septima decima duodevicesima undevicesima, ab ora maritima discessit et secundum flumen Visurgim progressus Mindam pervenit. (2) Germani, qui eum, qua erat proximum iter per saltum Teutobur-

giensem, iturum esse sperabant, collocare insidias in silvis opportuno atque occulto loco constituerunt. (3) Nam erat locus ad insidiandum idoneus, qui silvestris ac paluster erat; prope paludem erant colles paulatim ab imo acclives, ubi Angrivarii latum aggerem extulerant, quo a Bructeris dirimerentur. (4) Quos inter colles et paludem erat angusta via, quae paucis ante annis a L. Domitio erat munita. (5) Insidiarum autem haec erat ratio: qua via ab aggere et palude in angustias cogebatur, omnem peditatum collocant, sagittarios funditoresque locis impeditis ac silvestribus instruunt. (6) Quas paludes si nostri praeterirent, hostes expectabant.

XXI. (1) Arminius colloquendi causa Varum adiit et apud eum hunc in modum locutus est: summa in difficultate castellum Lupiae flumini appositum versari, quod a Bructeris obsideretur. (2) At se adesse, ut Romanis auxilium ferret: cum ad civitatem revertisset, auxilia equites frumenta missurum esse se promisit. (3) Varus, qui, utrum iter pergeret an suis auxilium ferret, diu dubitabat, cum legati per paludes tam propinquis hostibus iter facere periculosissimum esse monuissent, tandem iter in Alisonem convertere et procedere proximam viam constituit. (4) Arminio licuit abire multis admonentibus Varum perfidiam eius; ad haec Varus respondit: Arminium non modo Romanis stipendium pendisse sed etiam ex eo tempore, cum imperator esset, cupidissime populi Romani amicitiam appetisse. Cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret?

XXII. (1) Varus paucis post diebus legiones, quarum sex cohortes expeditae erant, secundum saltum Teutoburgensem ducebat, cum ex collibus, quos Arminius impleverat, hostes, ita ut intra silvas aciem ordinesque constituerant atque ipsi sese confirmaverant, repente eruperunt impetumque in nostros equites fecerunt. (2) His facile pulsus ac proturbatis suo more victoriam conclamaverunt, ululatum sustulerunt impetuque in nostros facto ordines perturbaverunt. (3) Milites nostri,

qui, cum cetera loca limosa, tenacia gravi caeno aut rivis incerta essent, in via angusta manere cogebantur, ab hostibus premebantur atque aegre sustinebant, quod confertis cohortibus ex omnibus partibus tela coniciebantur. (4) Neque, quod locus ipse erat praesidio barbaris, ex occulto insidiandi et dispersos circumveniendi singulis deerat audacia, ut paulum afuit, quin nostri in paludem truderentur. (5) Varus, qui, quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, dubitaverat, castra ponere hoc loco constituit, ut alii opus alii proelium inciperent. (6) Quo in proelio nonnulli interficiuntur, reliqui se in castra recipiunt. (7) Nostri aegre ad noctem oppugnationem sustinent, deinde paene nulla nocturni temporis pars ad laborem intermittitur; non aegris non vulneratis facultas quietis datur. Quaecumque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur; multae praeustae sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur. (8) At reliqua noctis pars compluribus de causis inquieta erat, quod barbari quidem festis epulis, laeto cantu, magno strepitu ac tumultu convallia resultantisque saltus complebant, sed Romani, apud quos invalidi ignes erant interruptaeque voces, passim adiacebant vallo, oberrabant tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. (9) Hostes postero die multo maioribus copiis coactis castra oppugnant, a nostris eadem ratione, qua pridie, resistitur. Hoc idem reliquis deinceps fit diebus. (10) Septimo oppugnationis die maximo coorto vento ferventes fusili et argilla glandes fundis et iacula fervefacta in casas iacere coeperunt. (11) Hae celeriter ignem comprehenderunt et venti magnitudine in omnem castrorum locum distulerunt. (12) Hostes maximo clamore sicuti parta iam atque explorata victoria vallum ascendere coeperunt. (13) At tanta militum virtus atque ea praesentia animi fuit, ut, cum undique flamma torrentur maximaque telorum multitudine premerentur suaque omnia impedimenta atque omnes fortunas conflagrare intellegerent, non modo demigrandi causa de vallo decederet nemo, sed paene ne respiceret quidem quisquam ac tum omnes acerrime fortissimeque pugnant.

XXIII. (1) Repente post hostis tergum milites Caecinae in summo colle conspiciebantur. (2) Qui cum proelio nuntiato, quo in loco res esset quantoque in periculo et legiones et imperator versaretur, cognovissent, nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. (3) Horum adventu tanta rerum commutatio est facta, ut Varus suos hortatus cupientibus signum daret et omnibus copiis se porta foras proriperet et legiones in acie pro castris constitueret. (4) Nostri, etiam qui vulneribus confecti procubuerant, scutis innixi proelium redintegraverunt, calones perterritos hostes conspicati etiam iner-

mes armatis occurrebant, equites vero, ut turpitudinem fugae virtute delerent, omnibus in locis pugnantibus studio se legionariis militibus praeferebant. (5) Caecina triplici instructa acie de colle decessit et equitatu imperavit, ut hostes circumiret et a latere aperto aggrediret.

XXIV. (1) Germani, cum clamore post se sublato respexissent et duobus exercitibus se circumcludi vidissent, quamquam etiam in extrema spe salutis maximam virtutem praestiterant, tamen, si perumpere et nostros a tergo adoriri possent, frustra sunt conati et undique nostro equitatu circumdati tandem confecti vulneribus terga vertunt et a nostris dispersi dissipatique sunt. (2) Nostri autem finem sequendi non fecerunt, quoad equites hostes praecipites egerunt; paene omnes cursu exanimatos vulneribusque confectos equitatu consecuti nostri interfecerunt; facta est usque ad vesperum omnibus locis caedes.

XXV. (1) Segestes hoc proelio nuntiato et prope ad interuersionem gente ac nomine Cheruscorum redacto, cum ii, qui superessent, ex sescentis ad tres senatores, ex hominum milibus LX vix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos esse dixissent: «Armini, inquit, gentem redde». (2) Hoc die, quo die proelia secunda Romani fecerant, Bonnae in templo Victoriae, ubi statua C. Caesaris, qui paucis ante annis omnem Galliam pacaverat, consecrata erat, palma inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitisse ostendebatur. (3) Ingulomerus et Arminius, qui vivus in fuga comprehensus erat, Romam ducti et in campo Martio igni atque omnibus tormentis excruciatii interfecti sunt. (4) His rebus gestis omni Germania pacata tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, uti eae nationes, quae citra flumen Albim incolerent, Frisii Chauca Langobardi Sugambri Hermunduri Naristi, legatos ad Varum mitterent, se ei dederent, obsides ultro promitterent imperataque facturas pollicerentur. (5) Quas nationes Varus armis obsidibusque acceptis diligentissime conservavit et in singulis singulas legiones - nam erant trans Rhenum legiones sex - collocavit. (6) Ea pars Germaniae magna, quae est inter Rhenum et Albim, in provinciam redigitur; cui P. Quinctilius Varus praeficitur. (7) His rebus gestis dierum viginti supplicatio ab senatu decreta est. ■

# DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Sexta pars)

BELLA



Ecce unum e veterrimis sepulcris exhibitis in Museo Coloniensi in cuius imagine operis caelati acceptio morum Romanorum maximi est momenti. Lapis repertus est in coemeterio Coloniensi apud ecclesiam Sancti Gereonis sito, ubi in sepulcro iuxta Bellam sito alia quoque reperta est humatio temporibus Tiberii adiudicata.

Lapidis forma, structura opusque caelatum gustum consuetudinemque reddunt Romanorum: imago uxoris infantulum complectentis in abside fani pilis capitulisque coronati fastigioque cum flore.

In parte superiore aediculae marginatae nuca-

mentum pini inclusum esse videmus insigne immortalitatis: vita nova oritur e seminibus pini, itemque insigne est fecunditatis quia multos continet nucleos sive semina. Talia nucamenta tamquam acroteria suprema praecipua monumentorum sepulcralium esse solebant; et illi arborum fruges in sepulcris persaepe deponebantur. Hunc in modum non solum ornamentum, sed etiam insigne vitae aeternae est pertinens ad nemora fortunatorum.

Quis est illa femina? Titulus regula est marginatus basi lapidis non iam exstante; fastigii area ornamentis est ornata. Legamus epitaphium: BELLAE VONUCI FILIAE REMAE LONGINUS VIR ILLAEIUS FECIT PIE. Illa femina nomen gestat Romanum, ergo latinizatum. Pater nomen gestat Gallicum. Longinus, maritus Bellae, nomen gestat Romanum. «ILLAEIUS»: mendum est grammaticum, forsitan sermo popularis. Scribere debuit: «ILLIUS».

Ex his rebus concludere licet eam feminam cum marito e Remis una cum legionibus Romanis in Rhenaniam cisrhenanam venisse. Femina et maritus nomina Gallica mutaverunt, nomina Romana ac vitae genus Romanorum assumpserunt: maritus quin etiam pro uxore obita sepulcrum gustus Romani erigendum curavit: non semper Galli et Romani inter se debellare solebant.

Inde ab Augusto imperante cives originarii provinciarum Germanicarum cultum humanum civilemque Romanorum libenter accipiebant, itemque Romani liberales erant moresque Celticos iuxta aestimabant. Celtae nonnullos aspectus morum Romanorum adoptabant, e.g. oppexum. Pater autem Bellae nomen Gallicum retinuit adaptationemque ad mores Romanorum imitatus non est cum ceteris.

Longino non erat civitas Romana, aliter enim mentionem praenominis ac tribus fecisset. Et Longinus et Bella uxor orti ex civitate Remorum peregrini erant quoad originem et ius. Bella uxor erat libera, i.e. civis libera ex civitate foederata. Marito idem nomen est Romanum atque illi militi Romano, qui Iesum Christum hastae ictu graviter vulneravit.

Bella oppexu Romano est exornata: crinibus a fronte divisus in nodumque collectis. Ille oppexus

mos erat recentissimus temporis Tiberii. Oppexus autem tegimentum non est Romanum, potius Germanicum aut Gallicum, nam feminae quae tum temporis immigraverant in Rhenaniam vestes genticas sive populares conspicuas gestare solebant, viri autem peregrini Romanis iam vestimentis erant vestiti.

Bella et maritus linguae Latinae bene nondum sunt compotes (vide «illaeius»): aut talis erat consuetudo Latine loquendi inter Gallos.

Bella imaginem praebet humanissimam: ecce matrem infantem lactantem fascia involutum. Talis in lapidibus sepulcralibus imago rarissime invenitur; ergo non agitur de genere generaliter iconographico. Infans enim in matris brachiis id confirmare videtur.

Analysi dentium Bellae confirmatum est eam viginti circiter annos natam mortem obisse corpore enim non cremato sed sepulto: consuetudinem ergo patriam in Romanorum regione servavit.

Multi Romani usque ad finem secundi p. Chr. n. saeculi mortuos incinerare solebant, inde a tertio

autem saeculo humatio praevalere coepit.

Et quid de donis supremis? Minima sunt: duo vasa vitrea parvula et unum vas fictile - balsamarium - modestissimum. Rarissime accidit, ut et lapis sepulcralis et humatio una inventiantur. Plerumque enim lapides sepulcrales decursu temporum auferri solebant. Erantne maritus et Bella pauperrimi? Nullo modo. Lapis enim opere caelato exornatus sumptuosus erat. E talibus donis modestis supremis concludere non licet tales homines pauperes fuisse, potius ex talibus donis elucet eos alias de vita post mortem habuisse conceptiones secundum quales dona ultima nullius erant momenti.

Hoc sepulcrum exemplar familiae est quae partim mores maiorum servavit, partim consuetudines Romanas adoptavit. Bella ergo vivebat temporibus mutationum cultus civilis ac socialis structurae periodi Celticae exeuntis ad societatem cultus civilis provincialem in hac imperii Romani parte. Agitur ergo quodammodo de acculturatione - venia sit verbo - nondum perfecta quia illa femina insiticia in Rhenaniam modo immigraverat. ■

## DE ARTE MODERNA

QUID SENTIAT HUBERTUS PEETERS

Circulus Latinus Belgicus iam complures annos regulariter sessiones instituit ubi colloquia exercentur. Unus ex eius assiduis sodalibus, Andreas Flour, hoc anno sessionem extraordinariam ordinavit. Effecit enim ut Hubertus Peeters, medicinae doctor nunc rude donatus, qui eius condiscipulus fuerat, sodales circuli nostri domum suam invitaret. Nam Dr Peeters est egregius amator existimatorque artis nostri temporis atque per multos annos quaesivit, emit et in tecto suo disposuit notabilia huius artis opera. Saturni die 13 m. Aprilis confluximus in pulchram domum Doctoris Peeters, cuius uxor nos peramabiliter accepit. Cum sudum esset corona nostra in pergula consedit, unde patebat amoenus in hortum prospectus.

Hospes allocutionem Latinam composuerat, quae tota exhiberi non potest, sed cuius praecipua argumenta cum excerptis afferam.

«Sodales, inquit ad incohandum, mihi iam plus quam dimidium saeculum sine ullo verbo Latino praeteriit. Medicinae doctorem adspicitis, qui

Vesalium aut Hippocratem Latine aut Graece numquam legit; quare cogitate eum etiam humilem cocum esse, qui Latinis herbarum animaliumque nominibus, inter quae «ostrea edulis», «asparagus» aut «tuber melanogaster», coquinarie delectatur.»

Post salutationes ad rem venit dicens: «Scientiae et artes unum sunt.» Arguit ingenium humanum numquam tot tantaque subsidia in promptu habuisse ad universa investiganda quam nostris temporibus; multo melius comprehenduntur et terra et caelum; novae viae continuo apparent in scientiis naturalibus; quorum mirabilia innumera et inventa vitam cottidianam funditus mutaverunt. Oblectamenta etiam multa novaque, quae pertinent ad musicam, litteras, spectacula hominibus commode accessabilia sunt. Quae cum ita sint, quomodo liberales artes, quibus summa vis imaginationis exprimitur, vetera exempla etiam superare possunt?

Putat hospes noster artis conceptiones ab insolitis, necopinatis immanibusve animae moti-

bus pendere. Nostris temporibus multorum artificum opera exprimere videntur rebellionem contra novissimos successus prosperi ingenii moderni. Hoc in mente habeamus oportet, cum artes recentes consideramus perpendimusque.

Imaginum imperfectio atque operum rudis moles significant vertiginem quam conscientiae humanae infert hodiernarum scientiarum fulgur. Perfectae figurae sua interna ratione formantur; scientiae legibus reguntur. Quare non mirandum est artifices, qui contra mundum hodiernum rebelant, sibi mundum privatum aedificare conari, cui veritatem funditus alienam inferant: inde ortum est artis novae universum confusum.

Ita factum est ut circa sexagesimum annum huius saeculi, imprimis Neoboraci, surgeret artis motus, cuius propositum esset res cottidianas tales quales sunt extollere. Cuius motus nomen Americanum est «Pop Art». Hanc popularem artem Dr Hubertus Peeters habet ut amorem simplicium rerum, quae nos ambiunt. Inter quas res verbi gratia delectant colores in tabulis praeconiis adhi-

biti vel lucis tremor in viis et platels nocturno tempore.

Post hanc introductionem hospes nos per domum duxit, cuius omnia tabulata, omnes anguli et latebrae singularibus artis modernae operibus ornantur implenturque. Quae cum demonstraret explicaretque, dixit, suo sensu, musea non esse loca idonea ad artem degustandam, sed potius esse artis nosocomia; solum domi, favente silentio, omnis generis artificia cum delectatione conspici, legi, audiri posse...

Etiam culinariis artificiis delectati sumus cum Domina Peeters ipsa nobis coxisset exquisita crustula, cuius unum nomine Melissae etiam ornabatur.

Haec domus Peetersianae lustratio diversas nostrorum sodalium opiniones de arte moderna revelavit; de quibus fuse disputatum est inter sequentem sessionem. Infra divulgatur opinio iuvenis sodalis nostri Roberti Van Puyvelde, cui inter alios multum placuit haec lustratio. ■

\*  
\* \*

#### QUID SENTIAT ROBERTUS VAN PUYVELDE:

"Cum artificia moderna spectantur, saepe audire possumus «Hoc mehercule ego etiam facere possum!» vel «Hoc autem ego melius facere possum!». Tales sententiae significant aut artificia moderna de quibus agitur vere nugae esse, aut spectatores perperam iudicare.

Sed quid artifices ipsi dicunt de illis sententiis vel potius damnationibus a populo factis? Dicunt haec: plerumque illae sententiae ab hominibus factae sunt conclusiones iudicii intellectualis. In


arte existimanda autem deliberare modo intellectus non licet.

Ut bene capiamus hanc opinionem, nobis oportet paululum cognoscere philosophiam in qua nititur ars moderna.

Mens hominis divisa est in partes duas: ratio et intellectus. Intellectus semper cogitat et computat. Numquam silet sed continuo investigat quid facere possimus de re quae contemplatur, cui utilitati nobis sit, etc. Ita nos apud rem ipsam requiescere non sinit sed semper nos ad alia ducit.

Ratio autem nobis monstrat essentiam rei: quae sit, et nihil amplius. Cum existimamus artem modernam vel potius omnem artem, tantum ratione uti licet. Non enim scire volumus cui aliquod artificium prosit sed volumus rem ipsam in se iudicare. Communiter intellectu artem iudicamus.

Hoc modo autem semper sententiae producuntur quae sunt eventus comparisonum inter artificia, numquam iudicium artificii in se, sine comparatione. Artifices moderni dicunt oportere desinere cogitare cum stamus ante picturam, oportere videre: videre sine cogitationibus. Quia cogitationes prohibent claram visionem." ■



*Gandavense Museum Artis modernae magnam pecuniam nuper erogavit ad hoc opus emendum. Eius nomen est "Chasing the blue train". Est... coacervatio carbonum claviliumque fractorum, addito tramine caeruleo. His tristibus elementis auctor, nigrita Americanus nomine David Hammons, rebellionem exprimit atque difficultates hominum, qui vicum Harlem incolunt.*

# DE LIBERA RE PUBLICA ISLAMICA (II)

SCRIPSIT GUILIELMUS BLUM

Recenti articulo, possetne institui libera res publica Islamica, quaerentibus nobis in mentem venit difficultatem maximam inesse in fundamentalismo: posse igitur dixeramus institui liberam rem publicam Islamicam, libertatem vero illius destructum iri atque deletum, si fundamentalismus in moderatorum mentibus vigeret. Nunc vero nobis probandum esse videtur iam institutas esse liberas res publicas Islamicas vel consilium instituendae talis rei publicae exsistere.

In Turcia Kemal (1881-1938), qui et «pater Turciae» appellatur, liberam rem publicam instituisse inter omnes constat. Est autem illa constitutio vere ac recte libera (quamvis et fuerint et sint qui contra hanc constitutionem agant alii impetu religioso alii communistico alii anarchistico impulsu), verum Turciae constitutio non est Islamica: Kemal enim in animo habebat separare religionem a re publica, id quod sic fecit.

Primum Califas destituit ac deposuit, ne reges Islamici hereditarii restarent, deinde scholas Corani (quae «Medrese» dicuntur) claudi iussit. Et anno 1925 ordines religiosi omnes vetiti sunt (inter quos et ordo celeberrimus «saltantium monachorum» qui Iconiae habitabat), ne umquam contra rei publicae moderatores agerent (tamen usque ad hodiernum diem sunt quidam ordines Islamici in Turcia et precantur et laborant et publice agunt!). Eodem anno calendarium Gregorianum institutum est, calendarium dico occidentale Christianum quod olim (anno 1582) a Gregorio XIII Papa constitutum erat. Quae omnia facta quidem cum sint magni momenti, tamen superabantur haec praecepta iis iuribus, quae Kemal anno 1926 mutari iussit: antea ius valebat Islamicum, nunc vero Turcia ius civile ex Helvetia, ex Italia ius criminale sibi adscivit. Anno vero 1928 articulum constitutionis quo Islamica religio toti inesse rei publicae praescribitur Kemal mutavit.

De rebus a Kemali successoribus cum disputandum nobis non sit, tamen optime videmus liberam rem publicam posse institui in regionibus, quae Islamicae religioni deditae vel dicatae sunt: est constitutio fere occidentalis, est res publica in iure fundata, est res publica laica quae ipsa praesit religionis repraesentantibus. Probat igitur possibilitas instituendae liberae rei publicae in regione cuius inhabitantes Islamicam profitentur religionem.

Alterum nunc adferamus exemplum e regione Afghanorum promptum. Afghani enim quamquam anno 1979 ab Unione Sovietica suppressi et decem annos occupationem passi sunt, religionem profi-

tentur Islamicam; et isti moderatores Babrak Karmal et Mahomet Najibullah quamvis Islamicum regant populum, tamen id agunt, ut res publica fiat libera constitutione usa. Quod autem nostra maxime interest: inde ab anno 1978 usque ad nostra tempora Afghanos regunt qui ipsi communistae esse cupiunt. Tamen anno 1987 textum constitutionis novae faciendae promulgaverunt, ex qua verba quaedam huc proferre liceat.

Incipit constitutio «in nomine Allae misericordis benevolentis».

Art. 1: Democratica res publica Afghanorum est independens unita indivisibilis res publica tota potestate usa.

Art. 4: Partes politicae ut instituantur et exsistant, permittitur.

Art. 70: Concilio Nationali inest vis legislativa.

Art. 71: Concilium Nationale consistit in repraesentantibus et in senatu.

Art. 73: Praesidens est rei publicae caput.

Art. 96: Praesidens statim post electionem iusiurandum hoc dicat: «In nomine Allae omnipotentis iuro me conservaturum esse et principia sacrae Islamicae religionis et principia huius constitutionis...»

Haec constitutio usque ad hunc diem in regione Afghanorum nondum valet, et sunt multi qui illam numquam valere arbitrentur. Tamen clare et distincte videmus et intellegimus a rebus publicis Islamicis quoque tales institui posse constitutiones, quae Occidentalium sequuntur constitutiones et separatione potestatum fruuntur; quod factum numquam infitiri debemus.

Ut igitur concludamus, confiteri necesse est rem publicam liberam Islamicam institui posse. Quaerendum vero unum solum nobis esse videtur: suntne Islamici ipsi parati ad mutandos mores et ad mutandam vitam sensu democratiae et libertatis personalis, suntne parati ad vitam ut ita dicam modernam? Erant certe qui id agerent, sunt et erunt certe qui id negent neque fieri cupiant. Post bellum vero Coalitionis contra Iracorum aggressorem ineunte anno 1991 factum non ignoramus esse multos, qui occidentem oderint et vitam occidentalem aspernentur. Difficultates autem in duobus solis insunt rebus, in communismo et in fundamentalismo religioso: communismus quin anno 1991 toto in orbe terrarum sit destructus, dubium non est, fundamentalismus vero crescere videtur. Ergo speremus fundamentalismo spreto rationem crescere, ita ut fiant liberae res publicae Islamicae, quarum possibilitas probari optime poterat. ■

# LATINE LOQUI...

## UBI CONDISCATUR



*"De publicis scholae exercitationibus.*

*(...) Latine loquendi consuetudo quam diligentissime retineatur et varis artibus inter pueros foveatur. Latine libenter et facile loquentur, si loquendi formulas elegantes habeant explicatas a praeceptore bonis et propriis verbis. Inviti enim eloquimur, quae nos improprie aut inepte dicturos metuimus. Neque fuerit inutile formulas aliquot proponere pueris, quibus in lusu, quibus in congressu, quibus aliis in rebus ac locis uti debeant. Dabit operam magister ipse, ut quam poterit emendatissime loquatur: loquentes discipulos ultro collaudabit, si quid dictum erit aptius; aut emendabit, cum errabunt. Iuvabit et illud, si propositis praemiolis aut poenis, velut ex lege provocentur, ut ipsi quoque inter sese alius alium emendent, et eruditores nonnulli deligentur qui controversiam finiant."*

*Christianis litterarum magistris de ratione discendi et docendi, Parisiis 1692, p. 99.*

## SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

In his seminariis participes inducuntur ut *Latine loquantur*. Non solum haec exercitatio est ad linguam Latinam bene noscendam omnino necessaria, sed insuper Latinitas apparet apta ad commercium iugendum inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Doctor P. Caelestis EICHENSEER, qui permulta seminaria iam moderatus est compluribus in regionibus Europae, iucunde docet sermonis Latini usum cottidianum.

Invitantur: - magistri linguae Latinae; eis gaudio atque utilitati erit addiscere Latine loqui.  
- scholarum discipuli atque universitatum alumni; qui novum mirumque suae scientiae usum invenient.  
- omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Anno 1992 duo fient seminaria Latina:

**- in Helvetia: Morsaci [Morschach], 26 m. Iulii - 1 mensis Augusti a. 1992.**

Hic locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Pagorum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis propectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Interroganda est: Erica Roth

Aeschistrasse, 6

CH-3110 Münsingen (tel. 031/721.08.23)

**- in Belgica: Vavriae [Wavre], 7-14 m. Augusti a. 1992.**

Hic locus ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest; ibi multae commoditates exhibentur pretio modico atque variae praebentur iucunditates, inter quas ambulationes in regione silvestri.

Interrogandus est: Dr Gaius Licoppe

Avenue de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles (tel. 02/735.04.08)

## FERIAE LATINAE

Alius Latinistarum conventus fieri solet Nicaeae [Nice] in Francogallia, in domo pulcherrime sita quae spectat ad Mare Mediterraneum, non longe a portu et ab Ambulatione Anglorum, quae dicitur. Ibi variae proponuntur acroases atque lustrationes. Anno 1992 Feriae fient **a die 18 in diem 25 m. Augusti.**

Interrogandus est: Clemens Desessard

9, résidence des Collines, rue Leo Brun

F-06210 Mandelieu

## DOMUS LATINA

Lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19 (64 avenue Albert-Elisabeth, 1200 Bruxellis). Programma huius anni: textus leguntur parum noti, et antiquiores et (praesertim) recentiores.